



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

54 Reservata sunt omnia beneficia extincti, ordinis Humiliatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

postolicam pleno jure pertinere, & spectare, ac bona quæcunque eorundem sub spoliatorum nomine comprehensa, per ipsam cameram, ejusque nomine à quibuscunque illa, quandoque occupantibus, & detinentibus recuperari ac vendicari posse, ac juxta Pauli Papæ III. & aliorum Pontificum litteras eadem camera Apostolica in hujusmodi bonis spolia nancupatis verè, & universaliter succedere Greg. Papa XIII. Apostolica auctoritate declaravit, *ut in litteris ejusdem Gregorij sub die 21. Januarij 1577. expeditis, de quibus in Bull. Rom. c. 44.*

Et Pius V. de sanct. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consensu, & de potestatis plenitudine, † extinxit, & abolevit ordinem fratrum Hamiliatorum, & officium Præpositi generalis, ac provincialium, & quæcunque alia ministeria ordinis sic suppressi, nec non omnia, & quæcunque statuta, consuetudines, & decreta ejusdem, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quacunque firmitate munita, privavitque Generalem, ac cæteros omnes Præpositos, & fratres, omnibus Præposituris, dignitatibus, administrationibus, officiis, & beneficiis ecclesiasticis, cum cura & sine cura, nec non domibus, conventibus, locis, & bonis, immobilibus, mobilibus, & se moventibus ubicunque gentium constitutis, sacra quoque, & communi suppellectile, ac ipsorum omnium usufructu, administratione, ac possessione spirituali, & temporalis, ac etiam jure, & actione, sive per statuta Apostolica, sive aliàs quomodolibet pertinente, ac eis abstulit omnimodam facultatem, usum, & auctoritatem, generalia, provincialia, & alia capitula de cætero ce-

lebrandi, *ut in constit. ejusdem Pij V. de qua in Bull. Roman. c. 122. & idem Pius præpositus, ac aliis ejusdem extincti ordinis dignitatibus, & beneficiis aliis ecclesijs, & piis locis unitis, ac aliàs de illis dispositio, † fratribus ejusdem extincti ordinis singulorum eorundem fratrum alimentis pensionem annuam liberam immunem, & exemptam scutorum quadraginta auri annis singulis percipiendam, eorum vita durante, super eorumdem beneficiorum fructibus distribuit, & auctoritate Apostolica assignavit, † ac omnia beneficia ejusdem ordinis sic suppressi Sedi Apostolicæ duntaxat specialiter, & expressè in perpetuum reservavit, ut in litteris, de quibus in Bull. Roman. ejusdem Pij V. c. 123.* Et, quoniam quampluribus dicti extincti ordinis fratribus fuit postea Apostolica, aut alia auctoritate de aliis beneficiis provisum;

Quæritur, & numquid bona eorundem decedentium, post ejusdem ordinis extinctionem ex redditibus ecclesiasticis acquisita, cadant sub eodem spolio, sub quo cadunt alia bona per apostatas extra eorum ordines & religionis acquisita: & ratio dubitandi oritur, quia, cum ipsi postmodum extra claustra, & obedientiam religionis vixerint, videtur, quod sub constitutione ejusdem Gregorij XIII. & aliorum Pontificum contra apostatas editas comprehendantur; at tamen, cum dicta constitutio Gregorij Papæ XIII. de qua in Bull. c. 44. & aliorum Pontificum suorum prædecessorum contra apostatas edita expressis verbis comprehendant regulares professos extra claustra suorum regularium locorum, etiam de licentia suorum superiorum degentes, *ut in d. constit.*